



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 2. Diuinæ misericordiæ, & humanæ malitiæ magnitudem simul  
intuendam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



CAPVT. XVII.

*Quanta, ex consideratione Dei summè  
boni, summèq; misericordis, etiam alio-  
qui desperatis, spes venia & fidu-  
cia addatur?*

§. I.

*Ab alijs videri ab alijs non videri diui-  
nam bonitatem.*

**A** V diui nonnullos, qui nauali præ-  
lio interfuerunt, quod Ioannes de  
Austria, contra Turcas, felicissi-  
mè gessit, narrantes, cadauera in mari na-  
tantia internosci potuisse. Siquidem cor-  
pora Turcarum prona, at Christianorum  
supina, atque cœlum aspicientia dicebant  
natitauisse. Eadem res quotidie accidit ijs,  
qui in diuinæ bonitatis mare incidunt; alij  
enim ibi eriguntur ad spem in Deo ponen-  
dam; alij suo pte pondere euertuntur, & ita  
deprimuntur, vt, ad quam oculos habent,  
non videant bonitatis profunditatem.

§. II.

*Diuina misericordiæ, & humane malitiæ  
magnitudinem simul intuentiam  
esse.*

*Hanc vtique non vidit Cain, qui dixit:*

*B b*

*Maior*



**Gen. 3. 13.** *Maiores est iniquitas mea, quam ut veniam merear; quasi aliquid maius esse possit magnitudine diuinæ bonitatis. Meritò quidem ante oculos versari debet peccatori scelerum enormitas, sed iuxta etiam ponenda est misericordiæ Dei magnitudo. Si quis iam lapsus, & nimio sceleris pondere oppressus desperare iam cœpit, ait Hipponensis Præsul; attendat vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem: peccatum enim cum desperatione, certa mors est. Nemo dicat, ego, si iam aliquid mali feci, iam damnatus sum; Deus malis talibus non ignoscit. Cur non addo peccata peccatis, fruor seculo, in voluptate lasciuia, in cupiditate nefaria. Iam perdita spe reparationis, vel hoc habeam, quod video; si non possum habere, quod credo. Deus enim noster sic cautos fecit, quando ceciderunt: sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.*

**S. Augustin.**  
**fin. l. 50.**  
**homil.**  
**hom. 21.**

§. III.

*Nolle Deum, ut quisquam spe veniæ deturbetur.*

*Quemadmodum neq; Iudas sic voluit esse desperatum: voluit tamen ipse desperare Iudas penitentiâ ductus, sine diuinæ misericordiæ recordatione. Habebat lachrymas Petrus pio, quas fundebat, affectu: ait D. Ambro-*